PA 6755
.H6 A5
Copy 1

PA 6755
.H6 A5
Copy 1

ROLOGI HECYRAE TERENTIANAE
GRAMMATICA, CRITICA, HISTORICA RATIONE
PERTRACTANTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GEORGIA AUGUSTA GOTTINGENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
CAPESSENDOS

SCRIPSIT

OTTO AMDOHR,
SILESIUS.

A. MDCCCLXXIII.

FRANCOFURTI AD VIADRUM.
TYPIS EXPRESSERUNT TROWITZSCH ET FIL.

PA6755
.H6A5

96-845382

LUDOVICO AMDOHR,

PATRI DILECTISSUMO

HUNC LIBELLUM SACRUM ESSE VOLT AUCTOR.

Tres versus primi prologi I. Hecyrae Terentianae codicibus sex (B, C, D, E, F, P) — in codice Bembino (A) 38 versus primi prologorum iam non leguntur — sic exhibentur:

‚Hecyra est huic nomen fabulae: haec cum datast
Nova, novum intervenit vitium et calamitas,
Ut neque spectari neque cognosci potuerit.‘

In versu primo, ut hiatus tolleretur, Bentleius fabulae in ‚fabulaï‘ et in secundo offensus longitudine alterius syllabae voculae ‚nova‘ ‚nova ei‘ scribendum esse coniecit. Fleckeisenus autem altera Bentlei coniectura probata primo versui succurrere mavult scribendo sic:

‚Hecyrae huicc nomen fabulae est‘ cet.

Ac recte quidem a Fleckeiseno hoc ‚fabulaï‘ Bentlei deletum esse omnes facile consentient. Nam ne unum quidem certum exemplum dativi in ‚aï‘ desinentis exstat, (cf. Neue, formenlehre p. 15. Buecheler, declinat. p. 53.) etiamsi quis inconsideratius suscipit, ut genetivum ‚aï‘, quem Bentleius quattuor in locis posuit, contra Ritschelium (proleg. ad Trinum. p. 325 s.) aliosque viros doctissimos (cf. Buecheler l. c. p. 33. Neue, l. c. p. 14.) tutetur. ‚Hecyra‘ — hanc lectionem omnes codices offerunt (cf. Donat. adnotat. ‚nominativo casu figuravit‘ cet.) — in ‚Hecyrae‘ quo iure Fleckeisenus cum Ritschelio mutaverit, non intellego: mihi quidem cum Brixio,

(ad Plauti Trinum. v. 8.) qui alia certa huius usus exempla (cf. ad Mil. v. 86.) affert, persuasum est nominativum potius quam dativum a poëta eo consilio positum esse in initio versus, ut emphasis augeatur. Quod denique Fleckeisenus pro ‚huic' ‚huice' scripsit et ‚est' transposuit, quamquam nemo nescit, et quam saepe ultima syllaba illius pronominis a librariis obscurata (cf. Ritschl. proleg. p. 173.) et quam magnae turbae in antiquorum poëtarum codicibus ‚est' verbi aphaeresi creatae sint (l. c. p. 107.), tamen mihi, si his legitumis scilicet remediis ad hiatum curandum uterer, levius agere viderer. Immo operae certe pretium est in hiatus usum a Terentio admissum aliquanto accuratius inquirere. Neque ego quidem, ut iam dictum est, qua ratione Terentius in versibus omnino hiatu usus sit, disputaturus sum, sed non ago in praesentia, nisi ut breviter complectar, quoad licentia illa in senariis Terentianis admissa esse mihi videatur. Quum enim hiatus sit licentia, quae nisi condicionibus quibusdam excusationem non habeat, has condiciones indagari oportet. Jam vero si Liebigio duce (cf. de hiatu in verss. Terentianis. Vrat. 1848.) codicis Bembini auctoritatem secuti senarios Terentianos, ubi exstat hiatus, perlustramus, prima Terenti lex in hiatu admittendo haec est, ut pausa quaedam pronunciationis inter eas voces, quae hiatum efficiunt, intercedat: praeterea priorem syllabam in longam vocalem aut in m consonantem (quae, ut antecedens vocalis irrationalis fiat, efficit ‚cf. Buecheler l. c. p. 24.) desinere necesse est. Ac primum quidem in penthemimeri caesura, ubi admodum parva vocis pausa fit, non coniuncta cum personarum mutatione tantum bis invenitur: Andr. v. 804, ubi sine dubio cum Fleckeiseno ‚satine' scribendum est, (cf. Ritschl. proleg. ad Trin. p. 106.) quia hiatus in verbis ‚pacto hic' nullam prorsus excusationem habet, et in Hec. v. 68, unde non minus certe hiatus auferendus est, cum simplex ‚se', quod Bembinus offert et certo ex ‚sese' corruptum est, nullo modo levi interpunctione defendi possit. At hiatum in Eun. vv. 409 et 697,

ubi licentia mutatione personarum et caesura principali mitigatur, a Terentio admissum esse, nihil nos credere vetat. Restat ut addam in Eun. v. 493. post secundam dipodiam trochaicam hiatum accipiendum non esse et mea sententia ‚post huc' — ‚huc' enim propter sensum desiderari non potest — recte hoc loco ab Umpfenbachio repositum esse. — De vocibus monosyllabis iam Bentleius perspexit fieri, ut hae omnes, quae in longam vocalem aut in litteram m desinunt, non tam pronunciando abripiantur quam corripiantur vel aliis verbis, ut illae voculae ita cum syllaba prima vocis insequentis coalescant, ut voce non prorsus obscurentur. Quae cum voculae non ponantur nisi ita, ut sub ictum cadant primamque arsis solutae syllabam efficiant, versus, ut Andr. 542 — ubi solus codex G recte lectionem ‚uti' praebet —, sine dubio corruptela laborant et ne Bembini quidem auctoritati id cedere debemus, ut in Hec. 68. et in Eun. 34. simplex ‚se' defendamus et in Ad. 515 ‚eius' deesse patiamur. In Andr. 542 ‚uti' — sana lectio solo codice G exhibetur — pro ‚ut' contra ceterorum codicum auctoritatem scribendum est. (In Bembino hic versus non legitur.) Certa autem exempla, ubi hiatus accipiendus est, exstant sexcenta. cf. Andr. 744, Eun. 22. 119. 527. 695. Haut. 308. (287). 838. 918. Phorm. 954. 383. 216. 27. Hec. 448. 496. 642. Ad. 119. 823. alia. Etiam de versibus, ut hoc addam, ut Andr. 548, scio an dubitari non possit, num vocula ‚te' ‚in' praepositione correpta (cf. Hec. prol. 25. Brix. proleg. ad Trin. p. XIV.) potius sub ictum cadat — ita ut pro iambo dactylus ἄλογος qui dicitur statuatur — quam pronunciatione paene abripiatur. — Deinde post interiectiones, quibus continuitas pronunciandi intermittitur, hiatus in senariis Terentianis nonnunquam invenitur — cf. Andr. 817. Phorm. 411. (hŏmŏ legendum est cf. Ritschl. l. c. p. 166.) — neque ante interiectionem iis quidem locis, quibus mutatio personae fit, a Terentio in senario hiatum admissum esse nego, praesertim cum in Ad. 767. hiatus etiam principali caesura satis excu-

setur: sed in Haut. 83. ‚mihi', quod in duobus codicibus legitur, desiderari non potest. Quid autem? Sola graviore interpunctione cursum senari ita retardari coniciamus, ut hiatus a Terentio admissus sit, cum hanc licentiam angustissimis finibus a poëta inclusam esse videamus? Huc Andr. v. 125. referendus non est, quod hoc loco hiatus caesura semiseptenaria et interiectione satis mitigatur. Sed nemo hanc licentiam in Haut. 461 excusare posset, etiamsi propter ipsum sensum ‚habui' in ‚habuit' mutandum esse non appareret. Menedemus enim posteaquam se a meretrice sollicitum habitum esse demonstravit, ceteros omnes eiusdem gratia non otiosiores fuisse addit. Eodem iure in Phorm. versu 656. restituenda vocula ‚et', quae in cod. Bemb. aliisque codd. deest, hiatus delendus est.

Quae si recte disputata sunt, etiam in versu nostro (Hec. prol. v. 1.) hiatum tolerari non posse apparet et de medicina qua versus curetur iam quaerendum est. Neque vero Fleckeiseni coniecturas supra a me propositas, quibus hiatus deleatur, ratione carere contendo: vide tamen, num fortasse aliquanto facilius et commodius ‚haec' in ‚quae' mutetur. Nec minus facile fieri potuisse, ut ‚haec' ex ‚quae' corruptum sit, quam ut illae corruptelae, quas Fleckeisenus statuere vult, irrepserint, mihi quidem persuasum est: pronomen autem relativum pro demonstrativo a Terentio positum esse prolog. Andr. versus 18. satis testatur.

Jam sequitur ut de altero versu disseramus. A terminationem nominativi singularis declinationis primae quae dicitur a Terentio iam non pro longa syllaba adhibitam esse, propterea quod nusquam ullum huius usus vestigium in fabulis Terentianis invenitur, conici oportet. Cum igitur ratio Brixium, qui nŏvā in versu nostro metiri vult, sequi nos vetet, versum corruptum esse fidenter credamus et de emendatione deliberemus. Atque Bentleius quidem vir summus ‚nova ei' scribere voluit. Brixius autem contra hanc emendationem recte admonuisse mihi videtur (ad Plaut. Trin. v. 187.

extr.) ‚ei' vocabulum in principio enunciati, maiore emphasi dictum, vix probari posse: immo negandum est, ni fallor, hoc ‚ei' cum usu dicendi alibi a Terentio adhibito congruere. ‚Ei' enim in versu nostro ad eum usum Terentianum pronominis is spectat, quo usu pronomen quasi per abundantiam repetitur, et facile, si omnia huius usus exempla, quae Holtzius (in synt. Plaut. II. p. 357.) conlegit ‚inspexeris, mihi adsenties pronomen ‚is' non repeti per ἐπανάληψιν nisi eodem casu, quo positum est pronomen, ad quod referendum est. Rectius igitur secundum usum Terentianum versus noster sic procederet:

huic quum datast
nova, ei novum intervenit vitium cet.

Sed aliam viam, qua spero nos ad veram lectionem venturos esse, ingrediamur. Quod Donatus adnotat ad v. 3. „vitium, quod non spectata est (sc. fabula), calamitas, quod non cognita est" neminem nunc Terentium sic interpretari, ut hoc credat, credibile est: sed quare, quaeso, efficitur, ut aliquis verba ‚novum vitium et calamitas' non ut nos sine dubio recte ad occupationem populi in funambulo, sed ad versum 4. rettulerit? Apparet autem Donatum enunciatum vocula ‚ut' incipiens in eam sententiam dici putare, ut eo describantur et explicentur verba antecedentia. (cf. Reisig. vorl. p. 553. Madv. Gram. 374 ad 2.) Sed cum fieri omnino possit, ut aliquis, si verba tantum — sensus enim hoc defendit — respiciat, ita ut Donatus verba poëtae explicet, et cum verba Terenti perspicua non esse ars poëtae vetet, facile coniecerim versum nostrum ita, ut ambiguitas verborum prorsus deleatur, scribendum esse:

Nova, novum ‚ita' intervenit cet.

Vocabulis autem ‚ita' et ‚intervenit' propter similutinem literarum permixtis ‚ita' facile elapsum esse nemo non videt, et qui in eo quod vocula ‚ita' in tribus deinceps versibus bis a poëta posita sit, offendit, eum meminisse iubeo, Terentium non solum in fabulis sed etiam in ipsis prologis sermonem vulgarem quamvis elegantissime imitari, qui quidem sermo repetitionem vocabulorum maximeque eam, qua — ut in versu

nostro — traductio quaedam sensus efficitur, minime repudiat.

Thesis XIV. quam Ihnius (in append. quaest. Terentian.) proposuit, prologum priorem Hecyrae mancum esse in fine, quam probabilis sit iam propter ipsius prologi brevitatem, nemo non videt: quod praeterea Ihnius scribi vult: ‚hanc ob rem noluit iterum referre, ut iterum possit vendere, sed . . .‘ nescio an recte id a Fleckeiseno in textum receptum sit, quia verisimile est poëtam iis versibus qui septimum sequuntur, qui nescio quo modo perierunt, enunciato a vocula ‚sed‘ incipienti, cur iterum retulerit, explicavisse. Sed in hac lacuna qui versus exstiterint, quis nos docuerit? At est nimirum qui nuper „spe incerta certum sibi laborem sustulit“, ut demonstraret versus 7—9 prologi Haut. in hanc lacunam transponendos esse. Quod quo iure Dziatzko (de prologis Plautinis et Terentianis p. 11.) fecisse videatur, inquiramus necesse est. Ratiocinatio Dziatzkonis est haec. Primum quidem in eo offendit, quod in prologis Hautontimorumeni et Hecyrae (cf. Haut. v. 5. Hec. v. 1. v. 29.) titulus fabulae disertis verbis nominetur, quum non fiat in aliis prologis Terentianis: ego vero omnibus in prologis nullo excepto nomen fabulae satis significari vel repeti credo (cf. Andr. 9. 13. Eun. 20. 45, Phorm. 26 s. Ad. 11.), postquam iam ante ludorum initium titulus fabulae per praeconem aliterve enunciatus est, quod quidem probabiliter factum esse etiam Dziatzko concedit. Sed quae Donatus in frgm. de comoedia (cf. Klotz. fab. Terent. p. XVIII. l. 23 ss. p. XIX, l. 34 ss.) de pronunciatione tituli fabularum tradit, ea ita in Parergis a Ritschelio tractata esse video, ut qui hanc simplicem et ingeniosam ratiocinationem sequi non vult, me ei persuadere posse paene desperem. De fide Donati nemo dubitat: in libris ab eo ‚Andria Terenti‘ et ‚Terenti adelphoi‘ inventa esse verisimile est, sed quae Donatus ex hac tituli dissimilitudine se conligere posse putavit et quae omnino de

pronunciatione tituli docet, non minus certe nugae sunt quam alia multa, quae pro veris prodit.

Deinde Dziatzko — ut eo, unde digressi sumus, redeamus — qui versus 1—10 prologi Haut. non satis cohaerere putat et versus 7—9 ei loco, ubi nunc exstant, insertos esse, sed referendos esse in priorem Hecyrae prologum probare studet. Fieri enim non posse dicit quin Terentius in eo prologo explicaverit fabulam esse novam , quia ante ludos populum scire Hecyram actum iri poëta noluerit, ne rursus haec fabula exageretur. Fore autem ut Hecyra ageretur, populum non sine offensione celari potuisse, nisi fuisset mos, ut paullo ante ipsam actionem, quae scitu necessaria essent, in scaena spectatoribus proponerentur.

Ac primum quidem quod Dziatzko sibi persuasit, virum doctissimum fugit parum verisimile esse populum a Terentio vel ab Ambivio paene coactum esse, ut Hecyram denuo spectaret. Ex altero autem prologo Hecyrae satis conligi potest populum Romanum non tam ipsam Hecyram quam ludos omnino scaenicos sprevisse. Itaque non inepte conicere videmur Hecyram postremo, si omnino peracta est, nulla alia de caussa a populo spectatam esse, nisi quod post ludos scaenicos nec funambulos nec gladiatores nec pugiles nec alia eius modi ludicra populo data sunt. Num credibile est, aliter futurum fuisse, ut populus nugarum illarum cupidissimus idemque in ludis scaenicis spectandis fastidiens Hecyram tertio datam usque ad finem spectaret, cum in ea, quibus maxime delectaretur, intentus esset? Denique, ut uno verbo dicam, non ut populus dolo quodam quasi coactus spectare inciperet, sed ut usque ad finem auscultaret, Terentio agendum erat. — Sed iam ad prologum Haut. redeamus et utrum versus 1—10 inter se cohaerere videantur necne inquiramus necesse est. Quod versibus 1—2 dictum iri promittitur, ‚cur partis seni poëta dederit, quae sunt adolescentium‘, toto prologo doceri et potissimum id agi, ut Ambivi senis caussa caussam Terenti iustam esse spectatores animum inducant,

iam Bentleius docet. Idem ad verba ‚deinde quod veni eloquar' adnotavit: ‚Fabulam ipsam peragam, ad quam agendam huc veni, continuo enim, ut prologum est executus, ingrediente altero actore magno ore orditur: „Quamquam cet."' Quae his locis Bentleius docet, Dziatzko et eius ipsius verbis et aliis rationibus refellere conatur. Bentleius enim alio loco explicat, quod facile credideris, eum qui prologum pronuntiaverit statim e scaena ante ipsam fabulae actionem discedere: praeterea Dziatzko existimat, conligi posse ex initio prologi Haut., spectatores exspectare Ambivium procedentem elocuturum prologum, quod fieri non potuerit, nisi prologus singulari vestitu indutus fuerit. Prologum autem vere usum esse singulari vestitu versu 9. prologi Hec. effici. Sed primum quidem Ambivium contra morem ceterorum qui prologum pronunciabant in scaena remansisse ipse Bentleius intellexit. Tum quod spectatores, qui prologum quendam ante principium actionis pronuntiari non ignorabant, senserint se ab ipso Ambivio in scaenam progrediente audituros esse prologum, non admiror. Denique aut ex versibus 1—2 prologi Haut. aut ex versu 9. Hec. conligi posse vestitum singularem prologo interdum semperve fuisse, Dziatzkoni adsentire non possum. (cf. W. Hahn: de scaenicis Plautinis p. 19.) Sed quo modo versus 4—10 accipiendi sint, iam nobis quaerendum est. Ipse Dziatzko (l. c.) nos docet Terentium uti simili genere docendi in prologo Phorm. vv. 24—30, ubi verba ‚quid velim' ad versus 30 ss. demum referenda sunt. (cf. etiam Hec. 28. ‚nunc quid petam' et vv. 45 ss. quibus versibus, quid petat, Ambivius explicat). Terentium igitur ea consuetudine uti, ut prooemio quodam quasi praemisso id ipsum, quod dicere velit, eloquatur, facile intelligitur. Hanc consuetudinem etiam ad nostros versus referendam esse eo clarius perspicitur, quod Terentius eius, quod versibus 1 et 2. significavit, versu 10. memoriam revocat. — Jam vero in versibus 4—7 vires meas exercerem, nisi viderem Lessingium in dramaturgia Hamburgensi iam pridem acute et ingeniose

eos interpretatum esse. Quam interpretationem omnes sine ulla dubitatione mecum amplectentur, qui paullo accuratius reputaverint, quid interesset inter verba ‚quae esset' (v. 7.) et inter ‚quae sit' (v. 8). Vehementer autem errat is, qui verbum ‚actorem' in Haut. prol. v. 12 s. pro patrono caussae accipiat*), quia fieri non potest, ut Terentius scripserit: ‚me actorem Terentius dedit,' — i. e. Terentius suae caussae patronum me esse voluit — ‚ut hanc orationem (i. e. verteidigungsrede), quam ille (scil. poëta vel reus) scripsit, dicerem, propterea quod moris Romanorum non erat, ut oratio a reo elaborata haberetur a patrono. Vocem autem ‚orationem' in versu 14. ad ipsam fabulam esse referendam, non ad prologum, sine ulla difficultate e sententiarum nexu conligitur. ‚Orare me', inquit Ambivius, ‚non prologum pronunciare Terentius voluit. Vos autem iudicare fabula, quam poëta mihi agendam tradidit, spectata Terentius cupit. Sed facundia mea non minor erit quam commoditas poëtae, qui partes, quas acturus sum, scripsit.' Quanta vero sit commoditas poëtae, toto fere prologo Ambivius explicat.

Jam vero nobis ad alterum Hecyrae prologum transeuntibus verba ‚orator ad vos venio . . . . sinite exorator sim' tractanda sunt. Vide, quaeso, quam concinne et splendide poëta scripserit ‚sinite exorator sim' pro ‚sinite exorem vos', quod quidem minus facete antecedens enunciatum ‚orator (= deprecator [cf. Festus ed. Müller p. 182. cf. p. 199.]) ad vos cet.' sequeretur. Sed liceat mihi hoc loco de usu qui singularis quidam est Terentiano substantivorum verbalium quae in ‚tor' desinunt verba nonnulla facere. His verbalibus non eum ab optimis scriptoribus significari, qui semel actionem, quae verbis, unde derivata sunt, exprimitur, sed qui eam muneris caussa perficit et perficere solet aut qui inde, quod

*) Verbis ‚me actorem dedit' nihil aliud exprimi ac ‚me agentem dedit' vel aliis verbis ‚mihi fabulam agendam tradidit' etiam ex usu Terentiano substantivorum verbalium in or desinentium — de quo usu postea paucis verbis disserturus sum — facile intelligitur.

perfecit, nomen quasi adeptus est, (cf. Naegelsbach, stilist. p. 148 ss.) in vulgus notum est. Quas leges poëtam nostrum non sequi, sed haec substantiva similem in modum adhibere, ut compluribus saeculis post Apuleius, Avienus, alii, iam ex versibus 10. 32. 48. prologorum Hecyrae satis intelligimus. Terentius enim utitur his verbalibus cum formis verbi ‚esse' coniunctis pro formis simplicibus verborum, ut ‚exorator sim' pro ‚exorem', ‚adiutrix erit' pro ‚adiuvabit', ‚fautrix sit' pro ‚faveat' cet. Maiore autem arte et elegantia haec verbalia a Terentio quam simplices verborum formas poni et multum inter hunc usum Terentianum et inter usum posterioris aetatis (cuius usus Haasius [Reisig. synt. adn. 177.] mentionem facit) interesse, nemo non videt. Sed ad hanc consuetudinem referendum est, quod Terentius haud parvam partem illorum verbalium, quae apud Plautum*) nondum inveniuntur, adhibet, ut monitor, commissator, inventor, perfector, tutor, adiutrix, gubernatrix, servatrix, nonnulla ἅπαξ εἰρημένα ut praemonstrator, exorator, contortor, alia denique, quae multis saeculis a scriptoribus repudiata saeculo post Christum natum tertio vel quarto vel quinto ab auctoribus magnam partem semibarbaris recepta sunt, ut extortor a Cypriano, inceptor ab Avieno, compotrix a Sidonio. — Plautus autem et Terentius non coniungunt haec substantiva cum casibus, quos exposcunt verba, unde illa derivata sunt (cf. Reisig. l. c. p. 616, Brix. ad Trin. 241.) sed cum dativo, quem potius ab toto enunciato pendere iam idem ille Reisigius docuit. (cf. l. c. p. 669. Madv. lat. gram. 241, 3.) Usus quem dixi invenitur in Hec. prol. v. 32. 48. Haut. 1007. 991. Hec. 785, aliis locis.

Venio iam ad verba ‚ornatu prologi', de quibus aliquanto accuratius disserere mihi in animo est. Significatio principalis

*) Casu hoc factum esse eo minus crediderim, quod fabulae Plautinae hoc genere verborum abundant, sed etiam Plauto nescio an multa in augenda multitudine verborum latinorum tribuenda sint, quamquam de hac re difficile est disputare.

substantivorum verbalium in ‚us' desinentium, quae eodem suffixo quod nominatur, quo supina quae dicuntur formata sunt, nec activa nec passiva est (cf. Schoemann, redeteile p. 54 et 55. init. et Haase l. c. adn. 598. init.), sed haec verbalia nihil aliud exprimunt nisi solam actionem, quae verbo aliquo significatur. Qua ex principali quam dixi vocabulorum potestate singulares quaedam effluxerunt, quae, quod ad usum attinet, accurate discernendae sunt. Haec verbalia aut vim ipsius verbi actionis activae vel passivae, ut ita dicam, habent, ita ut ad significationem infinitivi praesentis activi vel passivi prope accedant, aut quod actione verbi effectum est, sonant.

Quam angustis cancellis usus ablativi sine pronominis vel adiectivi additamento circumscribendus sit, inter viros doctos constat, sed non minus certum est ablativum verbalium in ‚us' desinentium liberioribus legibus adstrictum esse. Haasius autem, qui optime de hoc usu (l. c adn. 569. cf. 598.) disseruit, docet ablativum illum non adhiberi nisi ad rationem temporis et caussae exprimendam: id quod accuratius sic definiendum est, liberiorem usum ablativi non spectare nisi ad id genus verbalium, quae actionem verbi, non quae effectum actionis exprimunt. Ablativus igitur ‚ornatu' in nostro versu, cum hoc verbale in numero eorum sit, quae effectum actionis significant, ad illum ablativum quem significavi referendus non est, sed ad eum, qui ‚modi' dicitur, ‚quo describuntur res quae statum quasi comitantur' (cf. Holtze l. c. I, 176) Cuius usus exemplum sine pronominis vel adiectivi additamento praeter hoc ‚ornatu' ego quidem apud scriptores latinos — exemplum, quod Reisigius p. 714. l. c. praeter nostrum ex Curtio adfert, huc non pertinere, perspicuum est — non inveni neque abest a me suspicio, quin sub hac singulari licentia corruptela quaedam lateat.

Praeter formam ‚partim' — ut in versu 15. — etiam ‚partem' (Ad. 23. cf. Buecheler l. c. 22.) adverbiali sensu a Terentio ponitur: similiter atque in nostro versu ‚partim' cum genetivo coniunctum est a Cicerone (de divin. II, 55. §. 133.

‚quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, nunquam probata sunt‘ cf. Neue l. c. II, p. 511.). Sed hi duo loci valde inter se differunt, quod a Cicerone ‚partim‘ pro nominativo, a Terentio autem multo liberius pro ablativo positum est. — In eodem versu Ritschelius (in Parergis p. 187.) pro ‚vix steti‘ habet ‚non steti‘: quae lectio — nisi forte lapsu calami vel alio levi errore in textum irrepsit — probari non potest, quia nullius codicis auctoritatem habet.

Versus 23. in codice B nonnullisque aliis codicibus legitur sic: ‚ab studio atque ab labore atque ab arte musica‘, duo codices verba ‚atque arte musica‘ correcta praebent. Bentleius autem, qui nec versus rationem turbari nec tertio loco ‚ab‘ deesse volebat, ‚atque arte ab musica‘ scripsit. Quamquam viri docti de repetitione praepositionum non plane inter se consentiunt, hoc tamen constat, verba ‚labore et arte musica‘, si tertio loco ‚ab‘ non ponitur, in unam quasi notionem coniungi et vocabulo ‚studio‘ opponi: intentione enim vocis, qua ‚ab‘ secundo loco acuitur, non efficitur, ut ‚ab‘ tertio subaudiatur, — quod Umpfenbachius ad hunc versum adnotat, probare non possum — sed ut maiore vi verba ‚labore atque arte musica‘ pronunciatione consocientur. Quum autem consentaneum sit, Terentium hoc noluisse, sed verba ‚studium, labor, ars musica, in eandem fere sententiam abundantia quadam cumulavisse, ‚ab‘ tertio loco dimitti non potest nec coniecturam Bentlei improbandam esse censeo.

Versum insequentem (24.), unde de Terentio Ambivius verba facere incipit, omnes codices exhibent sic;

Quod si scripturam sprevissem cet.

Quamquam nihil in hoc versu inest, unde Ambivium de Terentio loqui sentiamus nisi ‚in praesentia‘, tamen in versibus sequentibus, ut Bentleius recte admonuit, nomen Terenti ex antecedentibus versibus supplendum esse apparet: quod quo modo fieri possit, nisi contra omnium codicum auctoritatem cum Bentleio pro ‚scripturam‘ ‚scriptorem‘ — haec coniectura etiam a Ritschelio recepta est — scribimus, equidem com-

prehendere non possum. Emendatio igitur Bentleiana, quae nullam nec formae nec sensus difficultatem habet, -- quamquam non ignoro Terentium in prologis vocibus ‚hic' vel ‚poëta' aut verbis ‚hic noster', ‚hic poëta' passim significari — sine dubio recipienda est, praesertim cum nihil sit, cur credamus Terentium, apud quem usum substantivorum in ‚or' desinentium longissime patere vidimus, vocem illam ad dictionem variandam non adhibuisse.

Versus 25—28 leguntur in omnibus fere codicibus sic:

‚Cum primum eam agere coepi pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit exspectatio,
Comitum conventus, studium, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.'

Bentleius seriem orationis versu 26. sensit interrumpi et ‚accessit' in ‚accedens' mutari iussit. Sed verba ‚eodem accessit' vel ‚accedens', utut leguntur, etiamsi minus ab elegantia Terenti abhorrerent minusque aperte interpretationem e versu 4. prologi prioris repetitam indicarent, aequitatem et concinnitatem membrorum sententiae ita interrumpunt, ut tolerari non possint. Itaque versiculum nostrum Grautoffio auctore a Fleckeiseno recte uncis inclusum esse puto, quamquam non habeo, quid dicam, cur a Terentio iterum mentio funambuli facta non sit, qui funambulus in priore prologo disertis verbis caussa exactae Hecyrae nominatur, nisi forte credis morem fuisse, ut una cum funambulo etiam pugiles aliaeque res ludicrae offerrentur. Quae cum ita sint, nihil impediebat, quominus in altero prologo funambuli loco pugiles ponerentur.

De versu 27 quid dicam, prope nescio. Bentleius enim ad hunc versum adnotat: „repone . . . . studium," in textu autem legitur ‚strepitus.' Hanc Bentlei coniecturam vel lectionem in apparatu critico ab Umpfenbachio conlato silentio praetermitti admiror. Apud Westerhovium (ed. fab. Terent. p. 13.) legitur: in v. 27. Bentleius coniecit ‚studium'. Idem ad v. 27. adnotat ‚Donatus in libris ‚studium' repperit,

quod interpretatur: ‚certamen diversis faventium.‘ Sed Klotzius (ad h. l.), qui notam illam Donati non ad verbum ‚studium‘, sed ad verba ‚comitum conventus‘ referendam esse putat, verba Donati cum antecedenti nota coniungit et ‚an‘ addit, ita ut legatur: ‚utrum eos comites dicit, qui sunt pugilum assectatores an servos, qui dominos sequuntur an studium certantium diversis faventium.‘ His proximis verbis Donatum verba ‚comitum conventus‘ interpretari voluisse, nemo crediderit. Immo etiam si particulam ‚an‘ in codicibus invenirem, hanc voculam delere et verba Donati item ac Bentleius ac Westerhovius accipere non dubitarem: certum est Donatum ‚studium‘ in versu 27. pro ‚strepitus‘ invenisse. Sed num Bentleius ‚studium‘ iure probaverit, valde haesito, cum lectio ‚strepitus‘ non solum auctoritate codicum commendetur, sed etiam multo aptior dicatur, quam ‚studium‘, quod neque absolute positum satis intelligi potest, nec, si cum genetivo ‚mulierum‘ coniungitur, satis eleganter et concinne orationi inseritur. Verba autem ‚comitum conventus‘, quae quo modo explicet Donatus dubitat de quibusque etiam Bentleius desperat, nobis iam tractanda sunt. Ac primum quidem vocabulum ‚comes‘ non aliter ac communi sensu accipiendum esse arbitror. Apparet enim eos, qui funambulum pugilesque spectare volebant, non ibi, ubi ludi scaenici agebantur, mansisse, sed in eum locum, ubi illa spectacula populo edebantur, sese contulisse: Hahnius autem (de rebus scaenicis p. 3.) si recte disputavit scaenam semper ad eius dei templum, cuius in honorem ludi fiebant, constructam esse, Hecyra fabula data primo ludis Megalensibus acta est in scaena, quae ad Magnae matris in Palatio (Livius XXXVI, 36.) parabatur. Sed funambulus, pugiles aliaque, quae ad id genus ludorum spectant, illo tempore in Circo maximo, qui inter montem Palatinum et Aventinum situs est, spectari solebant. (cf. antiqu. Roman. Becker-Marquardt IV, p. 519 ss.). Quae cum ita sint, factum esse apparet, ut populus Hecyra exacta de monte Palatino ad ludicra illa, quibus maxime delecta-

batur, spectanda magno tumultu cito descenderit; neque comites a mulieribus, quae ludos scaenicos a viris seiunctae spectare solebant, clamore arcessitos non esse, eo probabilius est, quia constat ludicra circensia a viris mulieribusque usque ad Claudi Caesaris aetatem spectata esse promiscue. (Becker - Marquardt l. c. IV, p. 497. extr. p. 531. adn. 3.)

Deinde si recte ab Hahnio (l. c.) disputatum est, quinquepartitam actuum distributionem illam Plauto nondum usitatam fuisse, idem ad fabulas Terentianas referendum esse puto, quia nihil est, quod Terentius potius actus quinque distinxisse videatur quam Plautus. Itaque verba ‚primo actu placeo' non ita videntur dicta esse, ut de primo quinque actuum, sed de principali vocabuli actus significatione (primus actus i. e. anfang der auffürung) cogitandum sit.

Versus sequentes 40—48 tum ab Hahnio (l. c. p. 2 s.) satis considerate tractati sunt tum nullam habent difficultatem, sed de versibus 49—51, qui non solum in nostro prologo sed etiam in Haut. (48 s.) exstant, iam disputaturi sumus. Inquiramus autem necesse est, utrum in prologum hi versus vere referendi sint: a Terentio enim idem eisdem verbis bis dictum esse nemo, ut spero, contendet. Sed ne Donatum quidem hos versus bis legisse in prologis facile credideris, cum grammaticus ad Eun. prolog. versum primum adnotet: ‚Attendenda poëtae copia, quod in tot prologis ab eadem caussa, eisdem fere sententiis, variis verbis utitur.' Quamquam vero num Donatus versus illos in Haut. prologo invenerit, non certe scimus, quia commentarium ad Haut. scriptum aetas nostra non tulit, tamen iam inde, quod Donatus in nostro prologo eos legit, satis recte concludere posse videmur, versus a grammatico in Haut. prologo inventos non esse. Sed cum de hac re varie iudicari posse videatur, operae pretium est studere, ut ex ipso sententiarum nexu conligamus, quem in prologum versus referendi sint. Atque Ambivius quidem in altero prologo Hecyrae, postquam copiose

demonstravit, se maximo labore id egisse, ut Hecyra perageretur, fabulamque iam bis immerito exactam esse, orat spectatores, ne et ipsorum causa (ne ludis scaenicis indignos se praebeant) et sui (actoris) causa, quippe qui tanta innocentia commodis spectatorum inserviverit, (v. 49—51) denuo ludos scaenicos despiciant. Sequentibus autem versibus omnia, quae antecedunt, breviter complectens iterum, ut silentium ad Hecyram agendam detur, orat. Versus igitur 49—51, cur minus in hunc prologum quadrare videantur, non habeo dicere, praesertim cum in extrema oratione, qua tota Terentius innocentia Ambivi potius quam eius ipsius virtute commendatur, non supervacaneum sit expressis verbis breviter repetere, quanta virtus in Ambivio fuerit. Restat ut in prologum Haut. inquiramus. In hoc prologo Ambivius senex non tam de se ipso quam de poëta locutus demonstrat, ingenium Terenti sine ulla caussa in suspicionem ab adversariis vocari (v. 16—27), cum re vera eius fabulae, quam quas inimici scripserint, non modo multo quae spectentur digniores sed etiam actu faciliores sint: quam ob rem spectatores seni, cui fabulae motoriae aliorum poëtarum plerumque agendae fuerint, copiam fabulae statariae Terenti agendae iam faciant. (—47.) Tum sequuntur versus illi, quibus se commodis populi potius quam suis ipsius inservivisse comprobat. Deinde Ambivius

‚Exemplum', inquit, ‚statuite, in me ut adulescentuli
Vobis placere studeant potius quam sibi.'

Sine praeiudicata opinione qui hos versus legerit, is intelleget, eos, quibus caussa ad fabulam commendandam ab innocentia Ambivi paretur, parum apte sequi, postea quam actor sui mentionem non fecit, nisi admonet genus fabularum Terenti seni ad agendum multo accommodatius esse quam aliorum poëtarum. Versus autem 51 s., si versus 48—50 antecedunt, in eam sententiam dici videntur, velut si actor antea explicaverit adulescentulos (scil. poëtas) ipsorum utilitati potius quam populi operam dare. Sed hoc

nusquam dictum est. Si vero desunt tres antecedentes versus, non dubium est, qui versus 51 s. accipiendi sint: orat enim Ambivius, ut populus faveat Terentio, quippe qui mitius fabularum genus excolat quam ceteri poëtae, qui sibi ipsis morigerari quam animos ad elegantiam formare malint.

Quae si recte disputata sunt, apparet versus illos ad alterum prologum Hecyrae referendos esse et ex interpretatione in prologum Haut. irrepsisse. Nullum autem, ut Ritscheli verba mea faciam, frequentius est in Terentio corruptelae genus quam quod ex interpretatione nascatur.

Restat denique ut lectionem ‚aliis' in versu 48 et omnibus fere codicibus exaratam et a novissimis Terenti editoribus probatam, nullo modo tolerari posse probem, cum aliorum poëtarum mentionem fieri et consuetudini Terenti et rationi repugnet: tantum enim abest, ut verisimile sit ceteros poëtas a scribendo Hecyra exacta deterreri potuisse, ut contra, si Terentium oppressissent, multi poëtae palmam accepisse sibi visi essent. Aptissime autem Ambivius ipso exitu prologi orat spectatores, ut et poëtae et sibi vel in posterum faveant.

Jam iuvat de ratione et personis Terentianorum prologorum, de Ambivio actore, qui alterum prologum Hecyrae elocutus est, de tempore quo Hecyra acta sit deque aliis rebus huc spectantibus brevi disputare.

Prologum apud Graecos nominari eam ipsius fabulae partem, quae, dum chorus in scaenam prodibat, agebatur, nemo nescit; latini poëtae vero quo consilio prologum, qui ante initium ipsius fabulae seorsum pronunciabatur, scripserint, ab ipso Terentio discimus, qui Andr. prol. 6. (cf. adn. Donat.) prologi esse ait argumentum narrare. Cur autem Terentius partes legitumas prologi ad προτατικὰ πρόσωπα quae dicuntur detulerit et ipso prologo respondere maledictis adversariorum maluerit, inde videtur petendum esse, quod

poëta et alias*) adversariis respondere non potuerit et in prologo comp ures res permixte tractare noluerit.

Jam vero utrum nomen fabulae in prologo nominari oporteat necne, exploremus necesse est. Sed ante initium ludorum et ceteris ludicris indicatis et nominibus fabularum earumque scriptorum pronunciatis nomina fabularum breviter quidem, sed satis significari iam supra proposui. Nunc quae Donatus de tituli pronunciatione tradidit, cur minus credenda sint, ostendamus necesse est: sed rem, quo minus mihi in dubitationem vocari posse videtur, eo brevius complectar. Quod enim Dziatzko contendit, ante secundam et tertiam actionem Hecyrae et ante actionem Hautontimorumeni titulum fabulae non pronunciatum esse, ne extemplo tumultus moveretur, supra a me satis tractatum esse puto. Sed hoc loco addendum est, id quod Dziatzko docet etiam ideo credibile non esse, quia ex Haut. prologo conligimus Terentium ne timuisse quidem, ne fabula illa exageretur, cum in eo appareat poëtam prae se ferre speciem magnae confidentiae. Dziatzkonis sententia dominum gregis fortasse pronuntiavisse titulum futilis est atque commenticia. Quid? Nonne Dz. suam coniecturam potius defendere videtur quam Donati verba**), quippe quae ita non ad primam actionem fabulae referri posse videantur, ut ad multa posteriora tempora spectent? —

Sed de altera Donati sententia, quae huc spectat, (cf. Klotz. l. c. p. XVIII, l. 23 ss.) quam idem Dziatzko (cf. l. c. mus. Rhenan. XX, p. 586) contra Ritschelium (Parerg. p. 304.) defendit, non tam agitur, si quid video, num Donatus diversa perperam confuderit, — quod quamquam Dz. negat,

*) Morem Plautinum dicendi aliquid ex ipsa fabula praeter argumentum ad spectatores Terentius suo iure respuit.

**) cf. Fab. Terent. ed. Klotz. tom. I, p. XIX. l. 35 ss. Huius modi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi [— scilic. qui fabulam iam saepius spectaverant —] ex populo ante discerent, quam fabulam acturi essent scaenici.

equidem pro certo habeo — quam num quis sibi persuasurus sit, ullum poëtam sive Terentium sive alium tam insanum fuisse, ut titulo ‚adelphoi Terenti' pronunciando magis quam ‚Terenti adelphoi' attentionem acquiri crediderit.

Omnibus igitur rebus consideratis Donatum ea, quae de tituli pronunciatione docet, sibi finxisse solis luce clarius est. Neque hoc valde mirum est, cum in libellis ‚de comoedia' et ‚de comoedia et tragoedia' passim falsa veris permixta esse certis argumentis probatum sit (cf. Hahn. quaest. scaen. p. 3. 14. 16.)

Cui rationi prologi serviverint cum viderimus, iam considerandum erit, a quibus pronunciati sint. De ea re quae scimus non sunt multa. Nam ut ea, quae ex prologis Plautinis conligamus, silentio praetermittamus,*) ex Terentianis nihil aliud (Haut. v. 2.) efficitur nisi adulescentium fuisse eloqui prologum: quare verisimile est aut dominum gregis, si quidem adulescens erat, aut eum actorem, qui partes primarias adulescentis agebat, prologum pronuntiavisse. Nec vero de ornatu prologi quicquam certi enucleari posse cum iam supra demonstraverimus, in eo potius nihil amplius sciri nobis quiescendum erit, quam ut hariolari quam disputare malimus. De Ambivio quae addam admodum pauca sunt. Ambivium actorem, qui, ut ex didascaliis accipimus, omnes Terenti fabulas primum egit, more omnium illius aetatis actorum (cf. Becker - Marqu. l. c. IV, p. 534.) servum vel potius libertum fuisse consentaneum est: id quod non impediebat, quominus summam gratiam propter singularem virtutem iniret. (Idem de alio quodam actore conligitur e Phorm. prol. v. 16.)

Quaecunque de vita Ambivi scimus, alteri prologo Hecyrae debentur, ubi de se ipse narrat, se adulescentem (triginta fere annos natum — cf. Ritschl. Parerg. p. 187. adn. —

*) Perperam Hahn. (qu. sel. p. 18.) versum 4. Mercat. Plautin. interpretatur, unde se conligere arbitretur a consuetudine alienum fuisse prologum ab actore primario pronunciari.

fabulas Caecili egisse maximamque operam, ut novae fabulae peragerentur, navavisse. Sed vide, ne innocentia Ambivi nimio plus a Ritschelio (in Parergis p. 333 s.) laudata sit. Recte enim Donatus nos admonet, ut laudes innocentiae Ambivi caute accipiamus, cum adnotet ad v. 34. prolog. Phorm. ‚ubique laudat poëta actorem, est enim poëtae utile': hoc idcirco probabile est, quia poëta et actor, qui ex arte musica quaestum percipiunt — haec non minima cura Terenti est, ne ad famem reiciatur cf. Phorm. prol. v. 18 — societate quadam utilitatis inter se coniuncti erant. Sed ut perspiciatur, quae haec societas fuerit, maxime inquirendum est, quo pacto poëta fabulas vendiderit et actor vel dominus gregis eas agendas curaverit. De his rebus quae Donatus ad Hec. II. prolog. v. 49. adnotavit*) ita ut permulta, quae ex hoc uno fonte manant, non praepropere credenda sunt, sed curandum est, ut vera a falsis secernantur. Num verisimile est, poëtam fabula exacta nihil soluti preti perdidisse, sed totum pretium ab actore, qui aestimavisset, repetitum esse? Quo tandem modo actor (scil. servus vel libertus) tantae pecuniae satis cavere potuit? Nonne probabilius est, aut fabulam ab actore ea condicione aestimatam esse, ut, cum fabula non stetisset, pecunia a poëta redderetur aut, quod verisimilius est, pecuniam post peractam demum fabulam ab editoribus ludorum numeratam esse? Quae quodammodo confirmatur coniectura. Suetonius enim cum tradat, Terentium ex Eunucho fabula bis acta percepisse octo milia nummum, facile crediderim, hoc permagnum pretium tum demum, cum fabula placuerat, ab aedilibus solutum esse. Huc si addideris, poëtae cum domino gregis de mercede actorum aetate Terenti convenisse (cf. Ritschl. Parerg. 328. Haut. 43 ss. 48.) — posterioribus enim temporibus actores ab editoribus ludorum locatos esse notum est (Becker-

*) ‚Aestimatione a me (Ambivio) facta quantum aediles darent: et proinde me periclitante, si abiecta fabula a me pretium, quod poëtae numeraverint, repetant.'

Marquardt l. c. IV, p. 533.) — nec ullum aliud praemium,*) quantum nos quidem scimus, domino gregis oblatum esse, non minus actoris quam poëtae, ut fabula perageretur, interfuisse satis apparet.

Quibus temporibus Hecyra acta sit et de aliis rebus, quae huc pertinent, disserturis nobis unae, unde discamus, didascaliae praesto sunt: quarum origo unde repetenda esset, Ritschelius ita in Parergis p. 319 s. explicavit, ut nihil addi possit, nisi quod Dziatzko satis probabiliter coniecit (cf. mus. Rhenan. n. s. t. XX. p. 92.) nonnulla quae in didascaliis exstant ex manuscriptis actorum a grammaticis recepta esse.

Fontes autem, unde didascalias hauriamus, sunt omnino tres**): primum praefationes praemissae a Donato fabulis Terenti, deinde didascaliae codicum quos Caliopius recensuit, denique codex Bembinus testis gravissimus, qui unus ex tribus Faërni codicibus, qui recensionem Calliopi effugerunt, nobis superest: accedunt in una Hecyra quae adnotavit Donatus ad Hec. I, 1, ubi nonnulla, quae huc pertinent exhibentur.***) Hecyrae didascalia corruptelis, quae per se apparent, emendatis legitur in codice Bembino haec:

---

*) Jam supra proposui, actorem in fabulis aestimandis, ne maius periculum subiret, aliquo modo sibi satis cavisse: fabulas autem semel peractas (id quod Ritschel. coniecit in Parerg. p. 331.) in possessionem actoris venisse credibile non est, propterea quod Eunuchum commodo ipsius poëtae bis actam esse scimus. Conicere igitur debemus, poëtam non tam fabulam quam primam fabulae actionem vendidisse.

**) De his tribus didascaliarum generibus fusius disseruit lectionesque libris denuo conlatis excussit Dziatzko in mus. Rhenan. p. 570 ss.

***) Non ita multum inter ea quae Donatus ad Hec. I, 1 adnotavit et inter praefationem interest, cum memineris Donatum dictionem suam in commentario multo artius ad verba ipsius prologi applicavisse quam in praefatione: quod ‚Ce Rabirio' in praefatione leguntur, haec verba a lectore parum docto fortasse ex mutilata lectione . C . . E . . . AB . . . (Cornelio Dolabella) vel aliquo alio modo perscripta esse suspicor. Nam qui fieri possit, ut Donatus sibi ipse dissentiat, equidem

INCIPIT TERENTI HECYRA
ACTA LVDIS MEGALENSIB. SEXTO IVLIO CAESARE
CN. CORNELIO DOLABELLA AEDILIB. CVRVLIB.
MODOS FLACCVS CLAVDI TIBIS PARIB.
TOTA GRAECA MENANDRV FACTA EST V
ACTA PRIMO SINE PROLOGO DATA SECVNDO
CN. OCTAVIO TITO MANLIO COS.
RELATA EST LVCIO AEMILIO PAVLO
LVDIS FVNERALIB. NON EST PLACITA
TERTIO RELATA EST Q. FVLVIO
LVCIO MARCIO AEDILIB. CVRVLIB. EGIT
LVC. AMBIVIVS LVC. SERGIVS TVRPIO PLACVIT.

Ac primum quidem de sexto versiculo didascaliae,*) quam supra proposui, quem versum totum suppositicium esse Dziatzko censet, hoc admonere volebam, verba ‚data secundo' non tam interpolationi quam corruptelae deberi, quia non verisimile est haec verba, quae nullum sensum hoc loco praebent, dedita opera inserta esse. Credo equidem vocabulo ‚secundo,' cum ex insequenti versu, ubi legebantur verba ‚secundo relata est' verbis ‚tertio relata est' respondentia inrepsissent, postea a lectore imperito additam esse vocem ‚data' — quae ad genus dicendi didascaliarum non convenit — eo consilio, ut ‚secundo' cum antecedentibus verbis aliquo modo coniunctum sit. Sed etiam alia, quae apertissime correctorem atque emendatorem significant, a Dziatzkone intacta esse relicta eo magis admiror, quod iam ipse

non comprehendo. Verba autem ‚haec primo data est sine prologo' a Donato adnotata esse, cum duos tantum prologos spectantes ad duas posteriores actiones invenisset, verisimillimum est: unde scilicet haec verba etiam in codicem Bembinum manaverunt. Atque caussa cur Donatus non respexerit in praefatione nisi primam actionem, inde videtur petenda esse, quod grammaticus et didascaliam praefationi admiscere consuerat nec tamen omnia his dicere volebat.

*) Quae Ritschelius (in Parergis p. 249—319, et Dziatzko (in mus. Rhen. n. s. XX et XXI) de didascaliis disseruerunt, eum, qui in hac quaestione iudicare vult, non nescire debere consentaneum est.

hanc rem disertis verbis commemorat (cf. mus. Rhen. XVI, p. 78. adn. 22.) Nec enim in didascalia verba ‚non est placita' (l. 8.) et ‚placuit' (l. 12.) per se desiderarentur, cum de eventu primae actionis nihil adnotatum sit, et in ceteris codicibus verba ‚non est peracta,' loco non convenienti posita interpolationi debentur: huc accedit quod Donatus eventus, quo fabula acta sit, verbis ‚est commendata' exceptis nusquam mentionem facit.

Sequitur, ut de actoribus, qui in Bembino (l. 12.) nominentur, statuendum sit. Fabulam autem a duobus actoribus (seu dominis gregis) actam esse cum Dziatzkone nego, sed alterum actorem ad diversas actiones fabulae referendum esse, quod Dziatzko vult, parum verisimile est. Etenim si didascalias fabularum Terenti inspicimus, unum actorem invenimus in didascaliis Hecyrae (apud Donatum) et Hautontimorumeni (in cod. Bembino), cum in codice Bembino verba ‚L. Sergius' in didascalia Hecyrae non minus aperte quam in adnotat. Donati ad Hec. I, 1. illud ‚et L.' vitiata sint. Sed inde, quod in eis codicibus, quos Calliopius certo consilio recensuit, duo actores semper nominentur, nihil conligi potest. Itaque nos, cum videamus didascalias Hecyrae et Hauontimorumeni in hac re singularem locum tenere recte sine dubio hoc discrimen ad id, quod inter prologos harum fabularum et inter ceterarum interest, referemus. Prologus enim, cum aut a domino gregis, si quidem adulescens erat, aut ab eo actore, qui primas partes adulescentis in fabula agebat, pronuntiari soleret, ut supra demonstravimus, et cum propter singulare genus prologorum Terenti fieri non posset, quin prologus omnino ab actore pronunciaretur, cui et poëtae et spectatores confiderent, videmur haud inepte conicere, hunc actorem, praeter ceteros excellentem, dignum habitum esse, qui in libris manuscriptis actorum seu in didascaliis nominaretur. Qua coniectura probata facile intelligitur, cur in didascaliis Hecyrae et Hautontimorumeni unus tantum actor nominatus sit.

Ad coniecturam nostram firmandam etiam hoc addi potest, quod in didascaliis fabularum Graecarum, quarum ad similitudinem latinae a grammaticis conscriptae sunt, nomen prologi disertis verbis nominetur.

Trium omnino actionum Hecyrae mentio fit in didascaliis: atque erraret is, qui putaret verba ‚tertio relata est' in codice Bembino fortasse ad quartam actionem referenda esse. Omnes enim didascaliae usum dicendi Terentianum (in Hec. prologis v. 7, 38.) sequuntur, ita ut verba ‚secundo relata est' et ‚secundo acta est' haud impari sensu dicantur. Hecyra primum acta est T. Manlio Cn. Octavio coss. (anno a. U. c. DIXC), iterum ludis funeralibus Luci Aemili Paulli (anno a. U. c. DXCIV.), tertium Q. Fulvio Lucio Marcio aedilibus curulibus, qui ad eundem annum — a. U. c. DXCIV. — sine dubio referendi sunt, quia Terentius iam insequenti anno in Graeciam profectus moritur.

Ludis autem Megalensibus primam actionem tribuendam esse codici Bembino et Donato testibus confidimus, ludos vero Romanos, quos codices Calliopi praebent, referendos esse ad tertiam actionem, id quod Ritschelio cum Pighio verisimile videtur, non habeo quod impugnem.

Jam denique restant etiam nonnullae dificultates, nondum animadversae vel remotae a viris doctis, quae quo modo tollantur nobis cogitandum est. Quodsi apud Donatum (in praef. Hec. ed. Klotz. p. 193 b 14 s.) haec verba: ‚. . . quod saepe exclusa haec comoedia' et in auct. vit. Terenti (Suet. ed. Reiffersch. p. 35. l. 11). ‚Hecyra saepe exclusa, vix acta est' leguntur, et quoniam vocula ‚saepe' non ‚bis' significari in oculos incurrit, grammaticos de numero actionum inter se dissentire nemo negabit. Atque iam Wilmannsius, (cf. in mus. Rhenan. XXI, p. 74.) cum intellexisset, parum verisimile esse Terentium in prologo Phormionis (v. 31 ss.) mentionem fecisse Hecyrae quattuor annis ante exactae, coniecit Hecyram post Eunuchum iterum ac-

tam esse. Quamquam haec Wilmannsi coniectura probari non potest, ratio viri docti improbanda tamen non est.

Nihil igitur restat nisi ut credamus Hecyram brevi ante Eunuchum relatam esse, quod eo probabilius est, quia ex prologo Phorm. (v. 33.) conligi videtur, unam actionem Eunuchi, non duas (Hautontimorumeni et Eunuchi), inter actionem Phormionis et Hecyrae intercessisse. Quam coniecturam amplexi non negabimus illud ‚saepe' facilius pro ‚ter dici, praesertim cum comparatio fiat cum aliis fabulis Terentianis, quae omnes primum steterunt. Quid autem? Hecyram ne quartum quidem peractam esse Volcatius Sedigitus contendit, qui secundum emendationem Ritscheli ait ‚sexta exclusast fabula', atque ipse Donatus de eventu, quo postremo Hecyra ab Ambivio acta sit, non adnotat nisi fabulam ab actore commendatam esse. Huc si addideris, illud ‚placuit' in codice Bembino, ut vidimus, interpolationi deberi, apparet nihil esse, cur Volcatio diffidamus.

Sed cum quaeratur, qui fieri potuerit, ut tres omnino actiones in omnibus didascaliis commemorarentur, caussa ex ipsis prologis videtur petenda esse. Terentius autem utrum unam actionem de consilio silentio praetermiserit — nescio an eam ob rem in altero prologo funambuli mentionem poëta non fecerit — an lacuna in altero prologo statuenda sit, equidem, quod in praesentia pro certo affirmem, non habeo.

Jam denique Hecyra quota fabula a Terentio scripta sit, non ita difficile discernitur, sed quid verbis ‚facta est' in didascaliis significetur, difficile est dictu: nam si verba ad fabulam scribendam referenda essent, sine dubitatione Hecyram secundam factam esse affirmaremus, aut si idem fere quod verba ‚peracta est', sextam factam esse coniceremus. Illud nos credere multa vetant, hoc, quod Ritschelius suspicatus est, non magis accipere nobis licet, quod et aliae obstant difficultates (cf. mus. Rhenan. XX. p. 598.) nec fieri poterat, ut in omnibus codicibus Adelphi fabula sexta, He-

cyra autem quinta facta diceretur, quoniam eisdem ludis scaenicis hanc exactam, illam peractam esse omnes libri consentiunt.

Restat igitur, ut coniciamus verbis ‚facta est' idem exprimi, quod Donatus verbis ‚edita est' distinctius significat, ita ut Hecyra, cum secundo (vel tertio?) ‚plane pro nova' post Phormionem relata esset, in lucem prolata esse definiatur.

VITA.

Natus sum Otto Amdohr Ohlaviae oppidulo Silesiae III die ante Cal. April. a. h. s. XLIV patre Ludovico matre Sigismunda e gente Schultz, quos adhuc vivere gaudeo maxime. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum rudimentis imbutus cum Vratislaviae in gymnasio St. Mar. Magdal., quod tunc a Schoenbornio gubernabatur, inferiores scholas absolvissem, Mindenae oppido Guestfaliensi in gymnasio a. h. s. LXIV testimonium maturitatis Ottone Gandtnero, viro illustrissimo, directore adeptus sum. Mindena Vratislaviam reversus potissimum disciplina Martini Hertzi per unum semestre usus sum. Vratislavia relicta Berolinum me contuli et per tria semestria literis philologicis et philosophicis magistris professoribus Boeckhio, Hauptio, Muellenhoffio, Kirchhoffio, Huebnero, Trendelenburgio, aliis operam dabam. Deinde Gryphisvaldiam profectus per tria semestria lectionibus Schoemanni, Buecheleri, Hoeferi, Susemihli, Georgi et exercitationibus seminari philologici et philosophici interfui. Anno h. s. LXVIII quarto ante Non. Dec. Gryphisvaldiae examen pro facultate docendi absolvi et Calendis Januariis anno h. s. LXXI magister publicus ordinarius in gymnasio Fridericiano Francofurtensi constitutus sum. Bello novissimo contra Francogallos gesto, ut hoc etiam addam, munere praefecti subsidiorum, qui dicitur, functus compluribus proeliis superatis mense Octobri a. h. s. LXX benignitate Imperatoris augustissimi ordini equitum crucis ferreae adscriptus sum.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 047 827 7

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 047 827 7